

“*tem*, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum, stomachi tormenta, cum effervescent merum ac viscera ipsa distendit “. Tandem concludit: “ Dic ergo, quare sapiens non debeat ebrius fieri. Deformitatem rei & importunitatem ostende rebus, non verbis “. Idq; fecit heic in pleno Romanorum theatro Terentianus Chremes. Legite, sultis, apud *Ambrosium lib. de Heliâ & Jejunio capp. XII, XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XIX.* in quibus demonstrat, quemadmodum ebrietas in omne facinus precipitet, de conviviiis præliatorum & fortissimorum adolescentum, de potu ad æquales calices, de poculo furoris, quòd sit major vis vini quàm veneni, quid de ebrietate *Jesaias* loquatur, de obtestationibus & sacramentis potantium, quæ ipsi violare nefas arbitrantur, & tandem quomodo etiam fœmina usq; ad ebrietatem bibant: prolixiora enim sunt, quam quæ breviusculo huic programmati includantur. Ac si quis hosce forsan autores elevare aut eludere velit, sanè ille Spiritui S. fidem non derogasset, cujus verba annotavit sapientissimus omnium mortalium *Salomo* in *Proverbijs cap. XXIII. vv. 29-35.*

XXXII.

*Ego ero post principia* (act. IV. sc. 7. v. 11.) hoc est, ut paullò post bucculentus iste Philosophus *Gnatho* explicat, ipse mihi cavebo loco. De *post principia* *Erasmii* consulendæ sunt *Chiliades sub tit. Discriminis, Experientie, Securitatis & rei tute*, ubi explicantur hæ duæ loquutiones, *Res ad triarios rediit*, & *Post principia*. Locus mihi parallelus videtur esse in *Pbormionis* (act. I. sc. 4. v. 52.) *Ego in subsidiis* (non *insidiis*, ut monent *Guyetus* & *Weitzius*) *heic ero*. Cetera sunt apud *Weitzium* diligenter congesta, uti hæc in parte *Eum* commendat *Böclerus* (in *Pbormion. l. c. v. 26*). Videtur autem mihi *Thralo* hic similis fuisse *Xerxi*, de quo *Justinus* (lib. II. c. 10. §. 23.) quod *primus in fugâ, postremus in præliò* semper visus fuerit, cui acclamandum fuisset à milite gregario, uti olim legionis cujusdam

(E) *Quomodo apud Florum lib. III. c. 10. §. 12. sumatur hæc vox, vide in Freinsbemiij Indice.*